

ergo eodem vt communicat, & spirat, ergo non plenius Pater spirat super Filium.

2. Incommodum erit penes diuersitatem. Si plenius à patre procederet, ergo plus accipit à patre, quam à filio, sed vbi ponuntur plus, & minus, ibi diuersitas, ergo in persona spiritus sancti erit diuersitas hoc falsum, ergo non plenius ab vno, quam ab altero.

Præterea, D. Michael N. Quod procedit vnica, & simplicissima productione, & spiratione à duobus procedit vniformiter: Quod procedit vniformiter procedit vnica vi: Quod procedit vnica vi, procedit æqualiter, & quod procedit æqualiter, non plenius ab vno, quam ab alio: Huiusmodi est productio spiritus sancti à patre, & à filio, ergo non plenius à patre, quam à filio. Probo maiorem. Nam cum in patre, & filio sit eadem substantia, ergo idem esse, ergo idem posse, ergo idem velle, ergo idem volitum.

Processio plena sex modis.

Hinc colligo, quod plenius procedere sumitur, sex modis, vt res sit magis clara, & conspicua.

- 1. Dicit naturam. } Plenitudo naturæ dicit duo. Vel dicit totam naturam vniuersalem, & productionem omnium rerum Cælestium: Terræ est. Angelorum: Hominum: Orbium, & elementorum, & sic ostendit Dei Optimi Maximi. Omnipotentiam sapientiam, & bonitatem infinitam. Vel dicit plenitudinem comparatiue respectu creaturarum, quoniam quædam creaturæ receperunt plus, & minus, quo ad gradus essendi. Quia multæ creaturæ habent vnum essendi gradum, aliæ duo sunt plantæ, aliæ tres vt bruta
- 2. Gratiam. } Ad Operandum in singulis hominibus, quia dat necessario gratiam.
- 3. Penam. } Ad Recipiendum diuinum verbum, vt in Maria quæ fuit plena super omnes mulieres, vt possit esse capax diuini verbi.
- 4. Gloriam. } Ad Docendum populum, vt in Apostolis, qui fuerunt repleti Spiritu Sancto, vt docere possint populos.
- 5. Tempus. } Ad Regendum vt in Christo. Qui caput est Totius Ecclesiæ, vnde fuit Mare gratiarum.
- 6. Essentiam. } Plenitudo penæ dicitur vbi perpetua, & summa est. Hac in inferno tantum modo reperitur.

Vt lapides habent solum esse.

Plenitudo gratiæ dicitur donum sufficiens ad.

Maria ac sancti gratia ple.

- Operandum. } Ad Operandum in singulis hominibus, quia dat necessario gratiam.
- Recipiendum. } Ad Recipiendum diuinum verbum, vt in Maria quæ fuit plena super omnes mulieres, vt possit esse capax diuini verbi.
- Docendum, & Regendum. } Ad Docendum populum, vt in Apostolis, qui fuerunt repleti Spiritu Sancto, vt docere possint populos.

Ad Regendum vt in Christo. Qui caput est Totius Ecclesiæ, vnde fuit Mare gratiarum.

Plenitudo penæ dicitur vbi perpetua, & summa est. Hac in inferno tantum modo reperitur.

Plenitudo temporis dicitur libertas Animæ à Dæmonio: Hac fuit in Incarnata & passione domini. Promissio fuit Adamo: Dispositio Patriarchis: Visio, & figura Prophetis: Pignus Iudeis: Factum in Maria quando Incarnatum est Verbum: Manifestatio Pastoribus in Natiuitate: Declaratio Phariseis in prædicatione. Certitudo infirmis in miraculis: Veritas Apostolis in communicatione, & consummatio omnibus in Passione dicente Paulo. At vbi venit plenitudo Temporis, misit Deus, &c.

Plenitudo Gloriæ dicitur satietas omnis appetitus viuendi, sciendi, & regnandi, quæ erit in Patria fatiaborum cum apparuerit gloria tua.

Plenitudo denique essentialis dicitur esse communicatio naturæ propriæ alteri omnibus modis, omni æqualitate potentie: sapientie: bonitatis: infinitatis, & æternitatis, sicuti est in communicante. Ista communicatio nullum habet gradum. Ceteræ vero habent gradum, & per consequens diminutionem, & per consequens imperfectionem. Nam ceteræ creaturæ habeat esse participatum. Essentia totum esse.

Aliæ ab essentia, & Essentia à se, & Aliæ compositæ ipsa summe simplex, ergo concludere oportet, quod in communicatione essentia, communicatur æqualiter non solum à patre, sed à filio, ergo plenissime. Hac sunt quo ad probationem conclusionis Magistri.

Concilium sub Cælestino. Anno 428.

Modo oportet videre aliorum difficultates. Hinc ex aduerso insurgit Theodorichus Nestorianus, & plures sectatores, qui postea Anno Domini 428. in EPHE. Concilio sub Cælestino Papa primo huius nominis fuit damnatus, & probat quod nullo modo spiritus sanctus procedit à filio. Vel si procedit, procedit prius tempore, & plenius à patre, quam à filio.

ARGVMENTA OPPOSITA.

Arg. 1. Aut spiritus Sanctus procedit à patre, iam nato filio. Aut procedit non nato filio. Si procedit non adhuc nato filio, ergo duratione præcedit filium: si procedit iam nato filio, ergo filius præcedit spiritum sanctum tempore, ergo non æternus.

2. Arg. Præterea causâ prima est illa in qua est status, ergo, & primum principium, est illud in quo est status. Sed in diuinis primum principium est pater, ergo in ipso est status. Sed vbi primum, ibi, & posterius, ergo si à patre vt primum principium, procedit spiritus sanctus, & postcrius à filio, ergo duratio.

3. Arg. Præterea quod plenius à patre. Omnis causâ prima plus influit, quam causâ secunda. Sed pater est primum principium spiritus sancti, ergo plus, ergo plenius.

4. Arg. Præterea. Causâ prima in agendo nil præsupponit, sed est à se, & per se, causâ vero secundæ præsupponunt primâ, ergo causâ prima plenius producit. Tunc sic pater est primum suppositum, primum principium, & originans, filius est secundum, ergo pater cum nil supponat, & filius supponat patrem, plenius à patre, quam à filio generabitur.

Pater à se, filius à patre.

5. Arg. Præterea. Procedere immediate aliquid ab alio, est plenius procedere, & procedere mediate est semiplenius procedere. Sed spiritus sanctus immediate procedit à patre, & à filio mediate, quia ei communicauit naturam, ergo plenius procedit à patre, quam à filio. Dicit, Hylarius producit spiritus sanctus, per filium, ergo. Propter vnum quodque tale, & illud magis. Si filius per patrem, ergo magis à patre, ergo plenius quam à filio.